Dicit ergo eis ihesus Amen amen dico vobis nisi man-
ducaveritis carnem filii hominis / et biberitis eius sang-
uinem / non habebitis vitam in vobis / Qui manducat
meam carnem / et bibit meum sanguinem habet vitam
eternam et ego resuscitabo illum in novissimo die
Postquam egit de pane spirituali qui est verbum Hic consequenter agit
de pane spirituali qui est sacramentum / Et dividitur in duas / quia primo
circa hoc ponitur christi doctrina / 2o exponitur quod videbatur obscura
ibi Multi ergo audientes / Prima in duas / quia primo ostendit christus
2o probatur quoddam suppositum ibi / Qui manducat / Prima in
tres / quia primo salvator docet huius sacramenti qualitatem / 2o ipsius
necessitatem ibi litigabant / 3o eius utilitatem ibi / Caro enim mea
vere est / Circa primum sciendum quod in sacramento eucharistie continetur
ipsum verbum incarnatum / et ideo omnis huius sacramenti qualitatem quatuor
tangit Primum est illud quod est ibi sacramentum tantum scilicet species panis
cum dicit Et panis / 2m est auctor illius sacramenti quod est ipse
christus sacerdos summus / Sacerdos autem qui est minister huius
sacramenti tantummodo profert verba / non in propria persona / sed in persona
christi / In aliis autem sacramentis utitur minister verbis suis vel verbis
ecclesie quibus exprimit actus / quem facit ut in baptismo patet cum dicit
Ego baptizo te / Sed in sacramento eukaristie solum refert verba
christi / cum dicit quod pridie quam pateretur etc / Et sequitur postea verba
christi / 3m est res contenta scilicet verum corpus christi cum dicitur
Caro mea est / Et accipitur hic caro prout distinguitur contra
animam et sanguinem / quia licet sub specie panis / sit anima et sanguis
hoc tamen non ex virtute sacramenti / sed ex concomitancia reali / sicut
et ipsa divinitas / 4m est res non contenta / sed tantum significata scilicet
corpus christi misticum / quod coniungitur capiti per caritatem / hoc
autem sacramentum dicitur sacramentum amoris / Quod dicitur pro mundi vita /
Sicut enim vita naturalis est in membris eo quod uniuntur capiti
a quo recipiunt influenciam sensus et motus / sic in fidelibus / qui
sunt membra christi / vita spiritualis conservatur / eo quod uniuntur capiti
christo per sacramentum amoris / Considerandum etiam quod bene dicitur pro
mundi vita / quia alia sacramenta solum proficiunt ipsi recipienti / solus
enim baptizatus / recipit graciam baptismatis et non alius Sa-
cramentum autem eucharistie non solum proficit sacerdoti sumenti
sed toti ecclesie / et illis qui sunt in purgatorio / Cuius ratio est
quia eucharistia non est tantum sacramentum / sed est etiam sacrificium
in quantum continet christum passum / et ideo proficit omnibus christi
fidelibus Si autem sumatur alio modo / sicut a layco / tunc
solum proficit sumenti / quia officium eius non est offerre sacri-
ficium / sed tantum accipere sacramentum // Litigabant ergo iudei Hic
consequenter ostenditur huius sacramenti necessitas / Iudei enim rudes predicta
verba christi audientes reputabant ea inutilia et impossibilia
ideo ostendit necessitatem huius sacramenti dicens Amen amen dico vobis
nisi manducaveritis carnem filii hominis / Sicut enim in vita
corporali cibus est necessarius ad vitam conservandam / ita in vita spiritua-
li / hoc sacramentum est necessarium / quia est cibus spiritualis conservativus /

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_122/0809

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG